

ram Sedis Apostolicæ Legatis celebranda veniam supplex flagitaret. Ad hanc itaque Synodum peragendam Joannes VIII. cum Legatis Imperatoris, qui Romam venerant, direxit *Petrum* Sancti Chrysogoni Presbyterum Cardinalem, quem duobus aliis Legatis *Paulo*, & *Eugenio*, qui Constantinopoli erant, adjunxit, & Concilio Constantinopoli celebrando voluit præesse nomine suo. Verum, *Photius* suis rebus prospiciens, *Petrum* Sedis Apostolicæ Legatum, cum primum Constantinopolim pervenisset, subdole delusit, & ab ipso litteras Pontificias sub specioso quidem obtentu eas in linguam Græcam vertendi, revera autem ut eas pro arbitrio suo truncaret & interpolaret, elicit; multaque in his de industria immutavit, sicut diserte ostendit Cardinalis *Baronius* ad ann. Christi DCCCLXXIX. ex litterarum Pontificiarum exemplaribus, quæ in Registro Joannis VIII. Papæ servata sunt. Hac insigni adornata fraude, *Photius* Pseudo-Synodum Constantinopoli habuit, quam ipse, & nunc etiam Græci Schismatici *Synodum octavam generalem* perperam appellitare solent, in qua Episcopi CCLXXX. Photio addictissimi eum Orientalium Patriarcharum Vicariis, & Sedis Apostolicæ Legatis interfuerunt, una cum *Basilio* Imperatore, ejusque filiis. Præfuit huic conciliabulo *Photius*, qui, insuper hæbita conditione, quam ei indixerat Summus Pontifex, omnia pro suo nutu gessit, Legatis Summi Pontificis Legationis suæ auctoritatem indignissime prodentibus. Quinque actionibus Photiana illa Synodus terminata est, ipseque *Photius* in Sedem Constantinopolitanam Joannis VIII. Papæ nomine restitutus. Tres Canones in hoc Conciliabulo, quod mense Novembri, anni DCCCLXXIX. inchoatum, sequentis anni mense Martio absolutum est, conditi sunt, quorum primo decernitur, ut Italia Episcopi, Clerici, vel Laici a Romano Pontifice depositi, vel excommunicati a *Photio* quoque pro depositis & excommunicatis habeantur, & vicissim depositi, & anathematizati a *Photio*, ejusdem pœnæ judicium a Joanne VIII. Pontifice Maximo subeant. Canone secundo statuitur, ut si quis Episcopus ad vitam Monasticam descendere, & pœnitentiæ locum implere voluerit, Antistitis dignitatem non amplius retineat. Hunc Canonem eo concilio condendum curavit *Photius*, ut persuadere posset, Sanctum Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum ad Ecclesiæ regimen redire non potuisse, eumque a Sede Apostolica, & a Synodo octava generali illegitime fuisse restitutum. Canon denique tertius anathemate percussit Magistratus, qui Episcopus sine causa, vel aliqua ratione conficta in carcerem conjicerent, vel verberibus afficerent. In Actis hujus Pseudo-Synodi multa esse ab impostore *Photio* supposita *Baronius*, & *Leo Allatius* in peculiari Tractatu de octava Synodo *Photiana* asserere non dubitant. De his omnibus, quæ in hoc Conciliabulo Photiano

gesta fuerant, certior factus Joannes VIII. Summus Pontifex, omnia illius Acta auctoritate Apostolica rescidit, Decessorum suorum Nicolai I. & Hadriani II. sententias in Photium latas confirmavit, ipsumque Photium damnavit, novo anathemate ritu solemniter conclamato. Joannis VIII. Summi Pontificis vestigia presserunt ejus successores *Marinus*, *Hadrianus III.* *Stephanus VI.* & *Formosus*, qui Photium anathemate perculerunt. Hinc optimo jure *Leo Allatius* cap. vi. libr. III. de *Occidentalis*, & *Orientalis Ecclesiæ perpetua consensione* explodit, solideque refellit nugæ quorundam recentiorum Græcolorum, qui asserunt, Photium tandem aliquando resipuisse, & Ecclesiæ Romanæ reconciliatum in ejus communione obiisse. Quod sane purum, putidumque mendacium est, & ab omni veri specie penitus alienum. Sed de Conciliis, in quibus ventilata est causa Photiana, satis dictum sit (a).

„(a) Conciliabuli hujus Constantinopolitani „acta integra Græce scripta e Vaticanis Codicibus hausta omnium primus evulgavit P. Harduinus, cum antea nonnisi fragmenta Latina Baronius dedisset. Ex P. Harduino transferunt in Collectionem Labbei Venetam antehac divulgatam, nec deerunt in nova, quæ nunc producit, collectione.

D. Numquid alia Concilia, præter ea, quæ hætenus percensuisti, ad dirimendas fidei controversias nono Ecclesiæ sæculo fuerunt celebrata?

M. Nono Ecclesiæ sæculo mota est apud Gallos controversia de cultu Imaginum, ad quam definiendam *Ludovicus* Augustus petita licentia ab *Eugenio II.* Summo Pontifice, Convantum Episcoporum in Urbe Parisiensi indixit anno DCCCXXV. in quo conditus est libellus ad probandum, retinendas quidem esse in Ecclesiis Imagines, sed nullatenus adorandas, ullove superstitioso cultu honorandas. Circa doctrinam Gallorum hoc in libello Synodi Parisiensis nono Ecclesiæ sæculo expressam diversa est Scriptorum sententia. Hæretici, qui cultum Imaginum penitus averfantur, contendunt, Episcopos Gallicanos hoc in libello Synodi Parisiensis negasse omnem omnino cultum, qui deferretur Imaginibus. *Carolus Coitatus* Congregationis Oratorii Presbyter, in Annalibus Ecclesiæ Francorum, ad annos DCCCXXV. & DCCCXXVI. de Synodo ista Parisiensi pluribus differit, censetque ea in cultu Imaginum a Nicæna septima Synodo adversus Iconoclastarum Hæresim celebrata non dissentisse. Alii denique probabilius existimant, Episcopos Gallicanos in hoc libello Synodi Parisiensis sensitse, Imagines honore moderato coli posse, eas scilicet decenti in loco collocando, ornando, curandoque ut quam maxime niterent, & ne pulvere sordibusque inficerentur, eos tamen improbasse externum illum honorarium cultum, quem Græci Imaginibus exhibebant, salutationibus videlicet seu inclinationibus capitis, genu-

flexio-

flexionibus, osculis, thymiamatum suffitu, cereorum accensionibus, aliisque certis ritibus, qui apud Gallos nono Ecclesiæ sæculo inauditum plane & inusitatum erant. Sed, ut magis perspicuum fiat, quænam esset nono Ecclesiæ sæculo Gallorum de cultu Imaginum doctrina, & qua in re Galli discrepant a Græcis, quidve moliti sint Episcopi Gallicani, hæc in Synodo Parisiensi congregati, operæ pretium est observare, Gallos tribus in rebus consensisse cum Græcis. Primo Galli una cum Græcis docebant, retinendas & exponendas esse in ædibus privatis, atque Sacris Christi, & Sanctorum Imagines, ad excitandam eorum memoriam & ad erudiendos simplices ac illiteratos Christianos. Notum siquidem est factum *Sereni* Massiliensis Episcopi, qui sub initium septimi sæculi, cum populum suæ curæ concredidit ad adorandas Imagines nimis propensum animadverteret, eas e templis eliminavit, projectaque confregit. *Sereni* zelum approbavit *Gregorius Magnus* prohibentis, ne quid manu factum adoraretur. Factum tamen, quod videlicet Imagines confregisset, improbavit in Epistola, quam scripsit ad eundem *Serenum* Episcopum Massiliensem: *Idcirco enim*, inquit, *pictura in Ecclesiis abibetur, ut hi, qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in Codicibus non valent.* Juxta igitur hanc regulam a *Gregorio Magno* Romano Pontifice præscriptam Galli nono Ecclesiæ sæculo Imagines in Ecclesiis retinebant, & in hoc cum Græcis conveniebant. Secundo, profitebantur Galli, colendam, & adorandam esse Crucem, videlicet illam salutando, aut caput inclinando, vel procumbendo ad illam mente ad Christum directa. Tertio, Sanctorum Reliquias congruo cultu, ac veneratione dignas esse Imagines, ultro fatebantur Galli. Quæ duo postrema Imaginum cultum spectantia, in quibus Galli consentiebant cum Græcis, diserte asserunt & docent duo insignes noni sæculi Scriptores Galli, nimirum *Jonas* Aurelianensis Episcopus, & *Dungalus* Monachus in libris, quos edidit adversus *Claudium* Taurinensem Episcopum. In his tribus circa cultum Imaginum Capitibus, Galli non dissidebant a Græcis. At unum erat, in quo Galli circa Imaginum cultum, nono Ecclesiæ sæculo a Græcis discrepabant, quod scilicet Galli antiquæ suæ disciplinæ retinendæ tenaces admittere nollent hunc cultum externum, & honorarium, quem Græci ut mox diximus Imaginibus deferbant, eas capitis inclinationibus, genuflexionibus, cereis accensis, aliisque id genus ritibus colentes. Hunc, inquam, ritum externum, quem in veneratione Imaginum Græci adhibere solebant, Galli quinque potissimum de causis nec approbare, nec sequi voluerunt nono Ecclesiæ sæculo. Primo, quia hic cultus externus, quem mox indicatis ritibus determinatum Græci Imaginibus Sanctorum exhibebant, suam originem habuit a prophano cultu, quo iidem Græci, aliæque Nationes statis diebus Imagines, & Statuas Imperatorum, qui beneficiis Rempublicam demerissent, quotannis odori-

bus, aliisque solemnibus pompæ ritibus colere, & adorare solent. Quam honorariam Imperialium Statuarum venerationem ad Religiosum postea Imaginum cultum traduxerunt Græci. Quam ob rem, ubi ejusmodi cultum septimæ Synodi Nicænae auctoritate Imaginibus delatum acceperet Gallicani Præsules, contra magnis animis obniti cœpere, quasi honor Deo proprius ad simulacra deferretur. Secundo, quia hic modus colendi Imagines, quo utebantur Græci, erat nono Ecclesiæ sæculo plane inusitatus. Tertio, quia ejusmodi cultum, qui obtinuerat apud Græcos, Sanctorum Imaginibus citra superstitionis culpam concedi haud posse Galli autumabant. Quarto, quia Græci cultum, quem Imaginibus exhibebant, *Adorationem* appellabant, quod certe *Adorationis* vocabulum nullo pacto ferre poterant Galli, asserentes soli Deo debitam esse adorationem. Postremo Galli, præsertim Patres Synodi Parisiensis, anno DCCCXXV. celebratæ, haud parum commoti sunt Epistola Imperatorum Græcorum *Michaelis*, & *Theophili* ad *Ludovicum* Occidentis Imperatorem, in qua multa commemorantur de superstitiosa religione Græcorum in Imagines. In ea siquidem Epistola legitur, quod Græci, ejectis Crucibus e Basilicis substituerent Imagines, eisque incensum adolerent, lucernis insuper admotis, quod eas psallendo adorarent, & ab eis auxilium peterent; quod plerique linteaminibus easdem Imagines circumdarent, & filiorum suorum de Baptismatis fonte facerent susceptrices; quod ab eis alii religiosum habitum susciperent; quod nonnulli Sacerdotes colores de Imaginibus eradentes, immiscerent Sacrificio; alii vero Corpus Domini in manus Imaginum ponerent, ab illis communionem sacram percepturi. His, & aliis hujusmodi superstitiosis ritibus, qui apud Græcos in cultum Imaginum irreperant, quique in prædicta Græcorum Imperatorum Epistola ad *Ludovicum* Augustum directa, continebantur, haud parum offensi Galli cultum hunc externum effraznem, & immoderatum, quem Græci deferbant Imaginibus, reprobant, & cultum dumtaxat moderatum in veneratione sacrarum Imaginum adhibendum esse consultissime judicarent. Hinc *Hadrianus* primus, aliique Romani Pontifices, qui Gallorum in sacras Imagines Religionem nono Ecclesiæ sæculo probe perspectam habebant, nunquam eos erroris insimularunt. Verum, quamvis Galli in ritu colendi Imagines nono Ecclesiæ sæculo non erraverint, culpa tamen non vacarunt saltem in modo impugnandi Decretum, quod pro cultu Sanctorum Imaginum statutum est in septima Synodo Nicæna, quam Œcumenicam esse immerito pernegabant, sicut legitur capite vicesimo octavo libri quarti Carolini. Sed de doctrina Gallorum circa cultum Imaginum nono Ecclesiæ sæculo plura, si tibi per otium liceat, leges apud doctissimum *Mabillonium* Præfatione in priorem partem sæculi IV. Benedictini, ubi de hoc argumento ita solide dissertit, & in sensum Auctorum eo tempore viventium

tium ea perspicacitate penetrat, ut rem plane confecisse, cæterisque aliis Scriptoribus, qui eodem de argumento pertractarunt, palmam præripuisse optimo jure videatur.

D. Memini, te in secundo Colloquio in Historiam hujus sæculi noni observasse, multa in Galliis sub Nicolao primo Pontifice Maximo celebrata fuisse Concilia, tum in causa divortii Lotharii Regis, & Theutbergæ ejus conjugis, tum etiam in causa Rothadi Episcopi Sueffionensis, & Hincmari Antistitis Laudunensis, qui suis e sedibus dejecti ad Nicolaum I. Romanum Pontificem appellarunt. De his itaque Conciliis, quorum notitiam ad præsens Colloquium remisisti, differere opportunus hic locus esse videtur.

M. Ut a Conciliis, quæ nono Ecclesiæ sæculo sub Nicolao I. propter injustum Lotharii Regis cum Theutbergæ legitima conjugis divortium habitata sunt, initium ducam, observare debes, Lotharium Regem Lotharingæ, Caroli Calvi Galliarum Regis nepotem, & Lotharii Imperatoris filium, qui cum Theutbergæ matrimonium contraxerat, Waldvadam pellicem amore adeo impotenti deperisse, ut de Theutbergæ repudianda, & Waldvada sibi copulanda serio cogitaret. Eam in rem horrendum crimen affinxit Regi, eamque accusavit velut incestus ream, occultique flagitii cum Hubeno fratre suo perpetrati, ex quo, licet contra naturæ ordinem concubuisset, concepisset, atque hænta potione factum extinxisset. Tam nefandum sibi impactum scelus in Conventu Episcoporum, ac Procerum aperte negavit Theutbergæ, & ut ab eo se se purgaret, judicio Laicorum nobilium, & Episcoporum consilio, ipsiusque Regis assensu, Procuratorem misit ad judicium aquæ ferventis (quod purgationis genus, eo tempore adhuc in usu erat.) Ex aqua ferventi procurator ille a Regina missus exivit illæsus, ideoque Regi innocentia probata, vindicata, conclamata, Regioque conjugio ac thoro digna renunciata fuit, sicut refert Hincmarus Remensis Archiepiscopus in libro de Divortio Lotharii, & Theutbergæ interrogatione prima. At eo prodigio nihil immutatus impudicus Rex Lotharius in proposito ducendæ Waldvade pellicis, repudiata legitima uxore sua Theutbergæ, perseveravit. Quin, quod gravius est, salacissimus ille Rex omnes Regni sui Episcopos in tam perverso, quod injerat, consilio, assentatores habuit, nullusque inter eos extitit, qui Apostolico zelo succensus eidem diceret, ut alter Joannes Baptista: Non licet tibi. Hinc in tribus Conciliis Aquigrani pro divortio Lotharii, & Theutbergæ habitis, necnon in Concilio Metensi Episcopi congregati, libidini Lotharii plus æquo faventes, iniquam contra Reginam Theutbergam sententiam protulerunt. In primo Concilio Aquigranensi eoacto, anno DCCCLX. Episcopi Lothario Regi ad nutum famulantes renunciarunt, ipsum non posse adulteram uxorem Theutbergam retinere. In altero Concilio Aquigranensi, quod eodem anno indicium est, Episcopi publicam Regiæ Theutbergæ penitentiam decreverunt. In tertio

Concilio Aquigranensi, quod convocatum est, anno DCCCLXII. Rex Lotharius libellum proclamationis Episcopis obtulit, licentiamque alterius conjugii ineundi rogavit, quoniam Theutbergam in conjugali thoro retinere non posset. Hanc a Rege petitam licentiam alterius ineundi conjugii concessere illi Episcopi Aulici, immaniter ea in re ab Apostolica traditione, & ab Evangelica doctrina aberrantes, sicut testatur Nicolaus I. Papa in Epistola LIX. directâ ad Adonem Archiepiscopum Viennensem, qui ipsum de Lotharii, & Theutbergæ causa consuluerat. Inter duas priores Synodos Aquigranenses, & tertiam itidem Aquigranensem, idest, inter ann. DCCCLX. & DCCCLXII. Hincmarus Archiepiscopus Remensis consultus ab Episcopis Regni Lotharii, illarum Synodorum Aquigranensium acceptis Actis, librum scripsit de divortio Lotharii & Theutbergæ Regiæ. Constat hic Hincmari liber viginti tribus Responsionibus ad totidem interrogationes, quas una cum Responsionibus accurate exhibet noster Natalis Alexander part. II. sæculor. IX. & X. Dissertatione nona. Postea idem Hincmarus septem quæstiones ad se transmissas, & ejusdem causæ judicium spectantes breviter ac dilucide solvit, ut ibidem apud Natalem Alexandrum videre est. Theutbergæ Regina a Lothario Rege repudiata ad Nicolaum I. Pontificem Maximum appellavit, isque ad hujus causæ judicium, anno DCCCLXIII. Synodum in Urbe Metensi celebrandam indicit, cui adfuerunt ejus Legati. Sed hi pecunia a Lothario Rege corrupti, Theutbergæ expulsionem, seu repudiationem confirmarunt, quorum injuriam sententiam Nicolaus I. eodem anno convocata Romæ Synodo rescidit (a), hujus Metensis Synodi Episcopos Lotharianæ causæ assertores, præcipue Guntharium Coloniensem, & Teutgaudum Trevirenses Galliarum Belgicarum Archiepiscopos, & Pseudo Concilii Metensis promotores deposuit. Nunquam Lotharius Rex veniam delicti, quod injusto suo divortio perpetraverat, a Nicolao I. obtinere potuit, sed anno DCCCLXIX. hoc est, biennio post mortem Nicolai Primi cum Romam venisset, ab Hadriano successore Nicolai Primi veniam per fraudem, & perjurium extorsit, quod Deus, quem nemo fallere potest, horrenda & repentina Lotharii morte non multo post ultus est, sicut jam observavimus in Colloquio primo in Historiam hujus sæculi noni.

(a) In hoc pariter Romano Concilio anni 867. facile persuadeor, ut credam agitatum fuisse causam Joannis Archiepiscopi Ravennatis, qui hæreses accusatus a Nandeno Polensi Episcopo apud Nicolaum Pontificem, ter vocatus venire contempsit. Contumacem Patres anathemati devoverunt, cui tandiu subiectum voluerunt, quandiu Romano Pontifici se sistere recusasset. Præter hæc alii sex Canones conditi, quorum prior anathema dicit in affirmantes Christum passum etiam secundum divinitatem; cum Deus sit impassibilis, ut sequenti canone definitur.

definitur. Tertius canon anathema dicit in affirmantes originale peccatum non deleri baptisate. Statuta Concilii Leonis IV. canone V. confirmantur, anathemate in ejus violatores pronunciato. Altero Canone decretum de electione Romani Pontificis confirmatur, & ejus decreti veritas, quam plures negant, & Stephano V., cui & Gratianus 8. dist. 33. adjudicat, asseritur. Demum & anathemati devolutur postremo canone audaces percussores Episcoporum. Canones hosce e Schedis Ambrosianis evulgavit Muratorius Rer. Italic. tom. 2. p. 2. pag. 128. Ego in meo supplemento adjeci literas Nicolai ad Vitalem Patriarcham Gradensem, ut veniat ad Synodum, invitantes.

Veniamus nunc ad causam Rothadi Sueffionensis Episcopi, quæ in tribus Conciliis, sedente Nicolao I. Pontifice Maximo, discussa est. In hoc porro consistebat causa Rothadi, quod Presbyterum suum Diceceseos in stupro deprehensum canonicè cum deposuisset, Presbyter ille depositus ad Hincmarum, Remensem Archiepiscopum suum Metropolitanum, quem Rothado infensum probe noverat, confugit, ejusque patrocinium imploravit. Hincmarus natæus occasionem, quam jampridem sollicitè quærebat, deiciendi ab Episcopatu Rothadam, qui in ejus odium incurerat, hujus Presbyteri, etsi justa de causa depositi, patrocinium suscepit, & Ecclesiæ, cui antea præpositus fuerat, eum restituit. Ad hæc, Presbyterum alterum, quem Rothadus in locum Presbyteri a se depositi suffecerat, Hincmarus Ecclesiastica communione privavit, & in carcerem detrudi mandavit. Tam irregulari judicio Rothadus, ut par erat, refragatus est, quod ægre ferens Hincmarus congregata an. DCCCLXI. Synodo in Suburbio Sueffionensi, Rothadam, ut contumaciam reum Episcopali communione privavit, donec obediret.

Hanc Rothadi Episcopi Sueffionensis depositionem Baronius & Sirmondus in Synodo Sylvanectensi factam perperam scripserunt, decepti inscriptione Epistolæ Nicolai I. Papæ, quæ est ordine XXXII. & ad Episcopos Synodi Sylvanectensis data dicitur. Sed Viri eruditi jure merito observant, & ex Annalista Bertiniano Auctore cævo probant, loco Sylvanectensis, restituendum esse Sueffionensis. Alteram Synodum in Suburbio Sueffionensi, anno DCCCLXII. teste eodem Annalista Bertiniano, convocavit Hincmarus, ad quam vocatus Rothadus venire renuit, asserens, sibi integrum non esse judicium subire Synodi, cum jam ad Romanam Sedem appellasset. At Hincmarus, nulla hujus appellationis habita ratione, Rothadam velut contumacem iterum in hac secunda Sueffionensi Synodo deposuit, & in carcerem conjecit. Quod ubi compertum habuisset Nicolaus I. Romanus Pontifex, rescripsit ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum, jussitque ut intra triginta dies Rothadam Sedi suæ restitueret, aut Romam cum eo ad causam dicendam veniret, vel Legatum mitteret pro se responsurum, sub pœna suspensionis a sa-

cro ministerio, quam etiam cæteris Episcopis, qui Rothadi exactionem cum Hincmaro decreverant, districte comminatus est. Nicolaus I. Pontifici Maximo morem gessit Rothadus, Romam venit, & in Synodo, quam Nicolaus I. in pervigilio Natalis Christi Domini, anno DCCCLXIV. convocavit, ad pristinum dignitatis gradum restitutus est, atque ut ea Rothadi restitutio executioni mandaretur, misit Nicolaus I. in Gallias Arsenium Episcopum Gortanensem, seu antiquæ in Etruria Civitatis Hortanæ, cujus Historiam & antiquitatem elegantè descripsit Illustrissimus Abbas Justus Fontanus in libro, quem edidit, De antiquitate Hortanæ Colonie Etruscorum. Scripsit etiam Nicolaus I. Papa ad Hincmarum Remensem Archiepiscopum Epistolam, quæ est ordine XLII. in qua ostendit, Rothadam legitime fuisse restitutum, & Hincmaro exprobrat Sedis Apostolicæ contemptum, fraudulentam ejus in Rothadam machinamenta, ac mendacium, & calumniam insinuando Rothadi consensu, quasi neglecta appellatione sua ad Sedem Apostolicam, electos Judices implorasset. Denique Nicolaus I. litteras dedit ad universos Galliarum Episcopos, ipsosque vehementer hortatus est, ut Rothadam a se restitutum benigne susciperent: quam Supremi Pontificis voluntatem promptissime executioni mandarunt Episcopi Gallicani. Rothadus siquidem suæ Sedi restitutus interfuit Concilio Sueffionensi III. anno DCCCLXVI. & Tricastino anno DCCCLXVII. in Galliis celebratis. Sed de causa Rothadi Sueffionensis Episcopi plura leges apud Natalem Alexandrum, Dissertatione VI. in Historiam sæculorum IX. & X. ubi eam accurate pertractat.

D. Nunquam profecto credidissimè, Hincmarum Remensem Archiepiscopum, quem omnibus ingenii, & eruditionis dotibus abunde cumulatum fuisse nuperrime audivi a Viris eruditis, in tantum superbiæ fastigium provehi potuisse, ut Rothadam Sueffionensem Episcopum, nulla ipsius innocentia, nulla Regularum Ecclesiasticarum, & appellationis ad Sedem Apostolicam habita ratione, deponere, injusteque vexare ausus fuerit.

M. Hincmarus Remensis Archiepiscopus tum ob eximiam, qua præditus erat, eruditionem, tum ob gratiam, & favorem, quo plurimum valebat apud Carolum Regem, cognomine Calvum, eo superbiæ typho intumuit, ut in omnes, qui ejus voluntati obstitabant, quanta pollebat auctoritate, imperiose, & crudeliter ulcisceretur. Audisti jam quid egerit Hincmarus Remensis Archiepiscopus in causa Gothescalci Monachi Corbejenensis, & in causa Rothadi Episcopi Sueffionensis; disce nunc quam inhumaniter sese gesserit in causa sui nepotis, videlicet Hincmari Laudunensis Antistitis, & Ebbonis, quem in Sede Remensi habuit decessorem. Hincmarus junior Laudunensis Episcopus, cum ægre videret, avunculum suum Hincmarum Remensem Archiepiscopum jura ac privilegia Sedis Apostolicæ violare, penitusque convellere modis omni-

bus tentare, scripta collegerat, quibus eadem roborare pro viribus nitebatur. Hinc graviter offensus *Hincmarus*, Remensis Archiepiscopus, nihil non egit, ut nepoti suo *Hincmaro* Laudunensi Episcopo infensum redderet Galliarum Regem *Carolus Calvus*, apud quem multorum criminum illum infimulavit, sed præsertim, quod *Nortmannum* comitem excommunicasset, eo quod bona Ecclesiastica in beneficium a *Carolo Calvo* accepta Ecclesie restituere recusasset; & ea de causa ad Summum Pontificem scripsisset *Hincmarus*, Laudunensis Episcopus, contra juramentum Regi præstitum, de crebra Ecclesiarum expoliatione, sub specioso Regiæ auctoritatis obtentu (a). Has & alias quamplures, quam hic recensere nimis longum esset, accusationes, & querelas accusator simul, & iudex *Hincmarus* Remensis in nepotem suum *Hincmarum* Laudunensem struxit, primum in Concilio apud *Vermeriam* in agro Sueffionensi habito, anno *DCCLXIX*. Huic repellendæ factioni, quam adversum se vindictæ Regis *Caroli Calvi*, & avunculi sui *Hincmari* Remensis Episcopi molebatur, imparem sese videns *Hincmarus* Laudunensis Episcopus, Sedem Apostolicam appellavit, quam appellationem *Hadrianus* Papa hujus nominis Secundus ultro suscepit, & vadimonium partibus indixit, ut Romam venirent. Sed Pontifici neque obtemperavit *Hincmarus* Remensis, nec permisit, ut *Hincmarus* Laudunensis Romam pergeret, causam suam apud Summum Pontificem peroraturus, & ut nepotem suum omnino opprimeret, tum proprio, tum Regis nomine, accusationes adversus eum in Synodo apud *Attiniacum* Diocesis Remensis, præsertim *Carolo Calvo* Galliarum Rege, anno octingentesimo septuagesimo habita, instauravit, fecitque ut Synodus, nihil jura, nihil justam dejecti Episcopi defensionem, nihil ad Sedem Apostolicam provocationem pensi habens, *Hincmarum* Laudunensem, suo injuste privatum Episcopatu in tetrum carcerem conjici mandaverit, ferreis onustum catenis. Necdum tamen implacabili *Hincmari* Remensis vindictæ factum satis. Tertia namque Synodus contra *Hincmarum* Laudunensem Episcopum, anno *DCCLXXI*. apud *Duziacum* Campaniæ Gallicanæ vicum, vulgo *Douzi* dictum, convocata est, in qua, *Hincmaro* Remensi fortiter accusante, & *Carolo Calvo* Galliarum Rege præsertim atque urgente, *Hincmarus* Laudunensis Episcopus non solum damnatus iterum, & Episcopatus gradu dejectus est, sed quod sane inauditam crudelitatem sapit, in carcerem trusus, ferrea catena vinculus, & citra ullam prorsus iudicii formam excæcatus fuit, sicque oculis orbis in exilium deportatus est. Accessit tandem ad malorum *Hincmari* Laudunensis cumulum mors *Hadriani* II. Summi Pontificis erga ipsum bene affecti, cui successit *Joannes VIII*. Hic præ timore displicere non ausus *Carolo Calvo* Imperatori, & Galliarum Regi, qui Romanæ Ecclesie Saracenorum armis vexata, & in extremum discrimen adducta, supplicias tulerat, confirmavit ad illius petitionem iudicium *Duzia-*

ensis Concilii. Quo factum est, ut *Hincmarus* Remensis nimia hujus Pontificis facilitate abusus, *Hedenulfum* in locum dejecti nepotis sui, abjecta omni cunctatione, Episcopum Laudunensem consecrari curaverit, ne qua dejecto nepoti suo restitutionis spes superesse posset. Ad hunc infelicem statum redactus *Hincmarus* Laudunensis, vivente *Carolo Calvo*, miseram omni ex parte vitam traxit. At, mortuo *Carolo Calvo*, serenior tandem lux *Hincmaro* Laudunensi ad imam dejectionem depresso arridere cepit, multumque imminuta fuit tyrannica illa *Hincmari* Remensis dominatio. Quapropter *Joannes VIII*. Papa in Gallias profectus, & a *Ludovico Balbo* maxima veneratione exceptus, Synodum Trecentem, anno *DCCLXXVIII*. indixit, in qua *Hincmarus* Laudunensis, postquam suas ærumnas exposuisset, consensit tandem Pontifex, ut *Missam* vestibus amictus Pontificalibus, etiam si cæcus esset, celebraret, & proventuum Episcopatum parte potiretur. Noluit tamen Summus Pontifex ei pristinam Laudunensem Sedem restituere, quia *Hedenulfus*, eo annuente, & consentiente Pontifice Maximo, in locum dejecti *Hincmari* jam creatus fuerat Laudunensis Episcopus. Hic fuit exitus causæ *Hincmari* Laudunensis Episcopi, in quem tam immaniter sæviit *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus, ut nullum in toto Historiæ Ecclesiasticæ decursu occurrat exemplum par crudelitati, quam *Hincmarus* Remensis erga proprium nepotem exercuit. Sed *Hincmari* Remensis Archiepiscopi versatile ingenium, fraudes ac violentiam aperte etiam probant ea quæ gessit in causa *Ebbonis*, quæ nono Ecclesiæ sæculo in Conciliis ventilata est.

(a) Commemorandum hic venit Conventus, seu Concilium Pistense anni 868. cui *Hincmarus* Laudunensis schedam obtulit exponens, rebus Ecclesiæ sese expoliatum injuste se quidem aliqua ex illis sibi vindicasse ad vitam tolerandam, sed & illis expoliari per vim; petebat igitur, ut ablata sibi restituerentur, quod & a Concilii Patribus, quibus *Hincmarus* Remensis præsidebat, obtinuit. Vide supplem. meum Concilior. tom. I. pag. 1001.

D. Quis est iste *Ebbo*, cujus causa, ut dicis, nono Ecclesiæ sæculo fuit in Conciliis agitata?

M. *Ebbo* fuit Archiepiscopus Remensis, *Hincmari* decessor, qui, ut rebellantium in *Ludovicum Pium* Imperatorem trium filiorum gratiam iniret, Conciliabulo Episcoporum, & Procerum Galliarum Regni apud Compendium anno octingentesimo trigesimo tertio præfuit, omnemque dedit operam ut *Ludovicus Pius* abdicaretur Imperio, & Monasterio conclusus reliquum vitæ tempus in pœnitentia transigeret. Sed commotis postmodum hujus sceleris admissi indignitate populis, *Ludovicus Pius* Imperio restitutus est, convocatoque ad *Theodoni Villam* numero Episcoporum, & Optimatum Conventu, an. *DCCLXXXV*. rescissum est injustum Compendienfis Conventus Decretum, *Ludovicus Pius* Imperator reconciliatus, & *Ebbo* Remensis Archiepiscopus ob prædictam conjurationem da-

mna-

mnatus, ac depositus est. At post *Ludovici Pii* Imperatoris obitum, qui incidit in annum octingentesimum quadragesimum, *Lotharius* ejus filius *Ebbonem* sui causa depositum in pristinam Sedem Remensem reduci voluit, quod nemine reclamante factum est eo, videlicet tempore, quo *Carolus* postremus *Ludovici Pii* Imperatoris filius, a *Lothario* pulsus ultra Sequanam profugerat. Ea tempestitiva occasione usus *Ebbo* Remos rediit, suam Sedem recuperavit, ibique multas fecit ordinationes, de quibus, ut mox dicemus, an valida essent, necne? gravis exorta est Controversia. Sedem Remensem per annum tenuit *Ebbo*, sed cum *Carolus* resumtis viribus in Gallias properaret, sibi metuens *Ebbo* Sedem, solumque vertere, & ad *Lotharium* remeare coactus est. *Carolus* itaque Galliarum Rex, cognomento *Calvus*, ut Regnum suum stabiliret, dedit operam ut Synodus Episcoporum Regni sui apud *Bellovacum*, anno *DCCLXV*. convocaretur, ubi, inter cætera Regni, & Ecclesiæ proposita negotia, *Hincmarus* olim Cœnobii Sancti Dionysii prope Parisios Monachus, & Regi *Carolo* gratissimus, præfectus est Ecclesiæ Remensi, quæ a tempore depositionis *Ebbonis*, hoc est, a decennio, erat legitimo viduata pastore. Sacris itaque Infulis inauguratus *Hincmarus*, & Ecclesiæ Remensis Archiepiscopus consecratus, *Wulfadum*, aliosque Clericos, quos *Ebbo* post depositionem suam ad sacros Ordines promoverat, a sacris Mysteriis suspendit. Hinc gravissima lis suborta est, ad quam dirimendam *Carolus Calvus* Rex Christianissimus Concilium Sueffionense secundum, anno *DCCLIII*. congregari curavit. In eo præsertim actum est de Ordinationibus factis ab *Ebbone* Sede Archiepiscopali dejecto. Eisdem *Ebbonis* depositio fuit confirmata. *Hincmari* electio, & ordinatio legitima atque Canonica declarata. Clerici ab *Ebbone* deposito ordinati gradibus suis dejecti sunt, ut videre est Canone I. illius Concilii, & in Actis Synodalibus. In eodem Concilio Canones XIII. conditi sunt. Tentavit *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus confirmationem hujus Concilii Sueffionensis secundi obtinere a Leone IV. Summo Pontifice, quam tamen concedere renuit Summus ille Pontifex, præsertim cum *Wulfadus*, ejusque socii ab *Ebbone*, post ipsius depositionem ordinati, & gradibus suis in isto Concilio privati, per proprias literas ad Sedem Apostolicam appellassent. At, mortuo Leone IV. Summo Pontifice, *Hincmarus* a *Benedicto* III. & postea a *Nicolao* I. Synodi Sueffionensis secundæ confirmationem impetravit. Verum non diu obtinuit ea per subreptionem extorta confirmatio. Renovata siquidem per *Wulfadum*, ejusque socios ad Sedem Apostolicam appellatione, *Nicolaus* I. Acta illius Synodi Sueffionensis secundæ examinavit, & rescidit, iussitque ut *Wulfadus*, ejusque socii in pristinos gradus restituerentur. Eam ob rem, anno *DCCLXVI*. indixit Summus ille Pontifex Synodum Sueffione celebrandam, quæ est ordine tertia, in qua *Hincmarus* Remensis Archiepiscopus, cum cerneret Episcoporum

Græves. Hist. Tom. III.

plurimos in restitutionem *Wulfadi*, ejusque sociorum inclinare, eo potissimum nomine, quod bona fide, palam, & publice ab *Ebbone* Archiepiscopo jure vel injuria Sedi suæ restituito sacros Ordines suscepissent; nihil non egit, inquam, *Hincmarus*, ut *Wulfadi*, ejusque sociorum restitutioni intercederet, obtulitque Synodo ad impediendam illorum restitutionem quatuor Schedulas, quæ a Patre *Sirmondo* publicatæ extant Tomo VII. Conciliorum; nihil tamen promovere potuit calliditas *Hincmari* apud istius Synodi Sueffionensis tertiæ Patres, qui iussu *Nicolai* I. Pontificis Maximi obtemperantes, *Wulfadum*, ejusque socios in pristinos gradus, quibus in Synodo Sueffionensi secunda, instigante *Hincmaro* Remensi Archiepiscopo, dejecti fuerant, restituerunt.

D. Sat superque hæc differuisti non solum de Conciliis, quibus nono Ecclesiæ sæculo celebrandis occasionem dederunt motæ Controversiæ tam de doctrina *Gotefchalci* Monachi *Corbejenfis*, quam de schismate *Photii*, & de divortio *Lotharii* Regis cum *Teutberga* legitima ejus conjugē; sed etiam de aliis Conciliis, quæ eodem sæculo fuerunt convocata in causa *Rhotadi* Sueffionensis Episcopi, *Hincmari* Laudunensis Antistitis, & *Ebbonis* Remensis Archiepiscopi. Quapropter, ne longius, quam par sit, nostrum protrahatur Colloquium, abunde nunc sufficiet breviter hic indicare, & ordine Chronologico alia recensere Concilia, quæ nono sæculo ad faciendam Ecclesiasticam Disciplinam variis in locis fuerunt celebrata.

M. Cum bene multa Concilia Provincialia vel Nationalia nono sæculo ad restaurandam Ecclesiæ disciplinam fuerint congregata, nobis, qui, quantum possumus, brevitate consulere satagimus, sat erit ea juxta Ordinem Chronologicum recensere Concilia, & quæ in eis gesta sunt, compendiose narrare, quorum uberiorem, si velis, notitiam tibi suppeditabit noster *Natalis Alexander* sæculo IX. parte prima cap. IV. ubi lato calamo explicat omnes Synodos Provinciales, & Nationales, & Canonum, qui ad faciendam Ecclesiæ disciplinam in illis conditi sunt, accuratam Synopsim exhibet.

Ordior itaque a Concilio *Alini* habito, anno *DCCLII*. Porro *Alinum* Urbs olim Episcopalis, ab Hunnis sæculo quinto excisa est, indeque Sedes Episcopalis ob Longobardorum metum translata *Torcellum* anno *DCXXXV*. atque ab hinc dictus Episcopus *Torcellanus* sub *Gradenfi* primum Patriarcha, deinde sub *Veneto*, cui etiamnum subditur. Huic *Alinenfi* celebrando Concilio occasione dedit mors, quam *Joannes Venetorum* Dux intulit *Joanni* Patriarchæ *Gradenfi*, eo quod *Christophorum* hominem Græcum ab ipso Duce, necnon ab Orientis Imperatore *Nicephoro* commendatum, *Ulivolensem* Episcopum consecrare non tantum renuisset, verum etiam a Communionem removisset. Ea de causa *Joannes Venetorum* Dux adeo exarsit ira, ut, *Mauritio* filio Duce assumpto, classem *Gradam* adduxerit, & Civitate primo adventu capta, *Joannem*

I

Pa-